



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi

Clagius, Thomas

Coloniae Vbiorvm, 1659

Cap. I. Sacellum & Linda Mariana, ante sui Excidium mirâ Angelorum
processione illustrata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11544

LIBER II.

De Linda Mariana Excidio, & rebus ad An-
num Domini, circiter M. DC. XVII.
gestis.

CAPUT I.

*Sacellum & Linda Mariana, ante sui Excidium mirâ Angelorum Tri-
cessione illustrata.*

Quo pacto Linda Mariana sit nata, quo
item adoleverit & floruerit; quàm saluaria
fuerit mortalibus subsidio; quanto denique
studio ab omnibus longè late què cul-
ta atque ornata; quoad per interjectam
antiquitatis caliginem licuit, hæctenus spectavimus.
jam, quo pacto denata, & per Sæctariorum furorem
excisa fuerit, deinceps spectabimus. Nimirum, ut in
vastis fluviorum, ne dicam Oceani, eluvionibus,
non modò flores & germina, & luxuriantes per atria
segetes, verùm & arbores ipsæ, & amplissimæ firmis-
simæque sedes, & integra quoque oppida atque ur-
bes subruuntur; ita per sædam & inauditam hæc
leon in Prussia eluvionem, inter alias plurimas, DEI
DEIPARÆ cælitum què Ædes, Linda quoque Ma-
riana, unà cum sacello everfa atque excisa fuit. Prius
quàm ad spectandum ita triste lacerrimique excidi-
um loci accedamus, lubet, imò & juvat, oculos
stante adhuc & vigente sacello, non ita repente
avertere, & augustam Lindæ Marianæ faciem, vel
obi-

obiter, non nihil intueri. Quidni enim augusta videatur loci Ædisque ipsius facies, quàm Angeli, vel alii cælestes spiritus, augusti utique tanti Regis Palatini, præsentia luâ, quin & festivâ, quam egere pompâ, angustiore reddidère. Quo tempore id acciderit, incertum est; certum tamen stante adhuc & vigente Lindâ atque sacello evenisse. Quo verò modo evenerit, Ciaritius hunc in modum percenset (a) *Fecerat eadem hominis, in tumultuaria pugna Eques Prutenus, & fuga præsidium ad tuendam salutem arripuerat, Timor impendentis supplicii, varia eum loca adire, & latibula querere, compellebat. Evenit fortè, ut noctem quandam, in silva, qua Ædem hanc in corona modum ferè circumcingit, trahere constitueret, sed somnum & conscientia facinoris, & solitudo ipsa ab oculis arcebat. Pervigilans igitur, cernit è sacelli area progredientem turbam, haud modicam, candidissimo velatam amictu, faculas manibus præferentem; locumq; sacrum decentissimo ordine circum-eundo lustrantem: & suavissimum quoddam melos personantem audit. Istud cum vernâ vice factum fuisset; idem sacer cærus, eò se, unde exierat, rursum retulit, & confestim disparens, mirantis oculos destituit. Ille divino visu attonitus, in aliumque virum mutatus, scelus dignè expiavit. Creditum est, Angelos humanâ specie fuisse, qui locum hunc venerati, laudes DEO concinuerint; & homicidâ, ad meliorem vitæ frugem reducto, leti discesserint. Si fortè spectaculum hoc, paulò antè quàm Linda excinderetur Mariana, evenit, vix profectò aliud portendit, quàm quod olim sub excidium Urbis Jerosolymæ, haud dissimile cælitum, ut plerique existimant, agmen portende-*

(a) pag. B. 6.

tenderat; quodque carmine illo, *Migremus hinc*, indicatum fuit. Si verò florente et jamnum ac vigente Lindâ Marianâ accidit, nihil mirum videri debet, cantu & choris cælitum honoratam fuisse apud suam Lindam DEI Genitricem; quæ omnibus Angelorum cælitumque choris, ingentem ubique laudum & præconiorum causam affert; nisi fortè quispiam minus jam credat, quod semper universa credidit Ecclesia, et jam Græca; quæ quidem in Menæis 22. Januarii (a) non sine gaudio & exultatione proficitur. *Semper & ubique inculpatissimam Numinis Matrem, ingentem cantandi materiam, Apostolis, Martyribus, Prophetis, & omnibus demum Cælitibus esse datam.* Unde, & 2. Januarii ad omnium Cælitum choros in laudem Deiparæ effusos, hunc se in modum eadem adjungit Ecclesia. *Te propriè Deiparam confitemur, per Te, ó Virgo casta servati: Teque magnificamus incorporearum mentium choris adiuncti.* (b)

CAPUT II.

Linda Mariana excidium ab hæresi, & Theutonici Ordinis quibusdam membris fœdissime in hæresin prolapsis.

Theutonicus Marianorum militum Ordo, quod disciplinæ religiosæ, quibus se incluserat, canculos non perfregit. Orbem Christianum, suarum factarum virtutum implevit; Prussiam verò insuper quin-

(a) *παντάμωμε μητρόθεε, τὸ μέγα περιήσκημα τῶν ἀποστόλων, μαρτύρων, κ' προφητῶν, κ' ὁσίων πάντων*
 (b) *κυρίως θεοτόχον σε ὁμολογῶμεν, οἱ διὰ σὴ σπασσάντες νοὶ παρθένε ἀγνή, σὺν αἰσωμάτοις χορείαις σε μεγαλύνωμεν.*